

1181.

[4/174

Heinrich, Abt von St. Alban in Mainz, überläßt dem Stifte Flanheim das Investiturrecht der Kirche daselbst gegen einen Zehnten in Büdesheim.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Quoniam res divini iuris ad perpetuum usum Deo servientibus destinatae alienari prohibentur, nisi causa redemptionis captivorum vel iure permutationis habite inter ecclesiam et principem vel inter ecclesiam et ecclesiam, idcirco ego Henricus, Dei gratia abbas sancti Albani, notum esse cupio omnibus tam futuri quam presentis evi fidelibus, qualiter ad instantiam et petitionem prepositi et canonicorum regularium ecclesie sancte Marie in Flanheim cum consensu omnium fratrum nostrorum et consilio viroorum prudentium et religiosorum, habita iuste et eque permutationis proporcione, investituram parrochialis ecclesie in eadem villa eidem preposito et fratribus pretextate ecclesie in perpetuum possessionem contradidi, recipiens ab eis iure permutationis decimam ville, que appellatur Budinsheim. Ut autem hec inter ecclesiam nostram, videlicet sancti Albani, et prefatam canonicorum regularium ecclesiam in Flanheim facta permutatio,

inconvulsa et stabilis perseveret, hanc cartam conscribi fecimus et sigilli nostri impressione signavimus. Testes quoque, qui presentes erant, subter annotari fecimus: Arnoldus maioris ecclesie prepositus, Henricus decanus, Sigefridus scolasticus, Herimannus cantor eiusdem ecclesie in Maguntia; Folpertus abbas sancti Jacobi. Rutgerus cantor sancti Petri, Richardus decanus, Cristianus cantor, Walterus canonicus sancti Stephani, Marquardus prior, Theodericus cantor, Engelfridus custos, Hunfridus camerarius cum universo conventu ecclesie sancti Albani; Cunradus palatinus de Reno, Symon comes et advocatus sancti Albani et filii eius, Gerhardus comes et advocatus ecclesie sancte Marie in Flanheim, quorum conventia et traditione hec permutatio facta est. Gerlaus (!) comes de Veldenzin, Godefridus comes de Spanheim, Emicho comes et frater eius Cunradus de Boimenebure. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M^oC^oLXXX^oI^o, epacta III^a, indictione XIII^a.

Orig. Siegel von Vorderseite ab; Kyrburg (2. Repert.) Nr. 73. — Kurzes Regest nach dem Druck in H. Ch. Senkenberg, Meditationum de universo iure et historia volumen, Gissae 1740, S. 60 ff. bei Goez a. a. D. II, Nr. 469.